

220  
I  
M  
ELT  
OV  
D  
G  
C  
bstetr.  
Q C 06,34

DISSESSATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICO-OBSTETRICIA

D E  
LACENTARVM IN VTERO

P O S T P A R T V M

EMANSARVM CVRATIONE THERAPEVTICA

AC MANVALI

CERTIS SOLIDISQUE ARTIS PRINCIPIIS  
OBSERVATIONIBVS SVPERSTRVCTA.



Q V A M

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

AROLO AVGVSTO

VCE SAXONIAE CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET  
GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE AEL.

C O N S E N S V

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

P R O G R A D V D O C T O R I S

S V M M I S Q V E

I N V T R A Q V E M E D I C I N A H O N O R I B V S

I V R I B V S E T P R I V I L E G I I S

E G I T I M E A B H I N C I A M I M P E T R A T I S

A. D. XV. MARTII C<sup>o</sup>I C<sup>o</sup>LXXXVIII.

E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B I I C I T

A V C T O R

DANN. RENRIC. OBERTEVFFER


HERISAVIA - HELVETVS.

---

I E N A E,


T Y P I S G O E P F E R D T I L.

Obstetr. 187



V I R I S  
ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSLIMIS  
PRAECEPTORIBVS OPTIMIS  
IN AETERNUM PIE COLENDIS

IOANNI HENRICO RAHN  
MEDICINAE DOCTORI  
SACRI CAESAREI PALATII COMITI  
COLLEGII CAROLINI CANONICO PHYSICES ET MA.  
THESEOS  
IN GYMNASIO TVRICENSIS PROFESSORI PUBLICO  
SOCIETATIS MEDICORVM ET CHIRVRGORVM VNI.  
VERSAM PER HELVETIAM CORRESPONDENTIVM  
PRAESIDI  
ACADEMIARVM IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSO.  
RVM, ELECT. PALAT. BVRGHVS. SOCIETATVM  
PHYSICARVM ET MEDICARVM TVRICENSIS BA.  
SILEENSIS LAVSANNENSIS REL.  
S Q D A L I.



# IOANN. CHRIST. STARCK

MEDICINAE DOCTORI

HAEREDITARIO IN LEVTHENTHAL ET SACHSEN-  
HAVSEN DVCIS SAXO-WEIMARIENSIS ARCHIA-  
TRO PROFESSORI MEDICINAE IN ACADEMIA  
IENENSIS P. O. INSTITVTI CLINICI IENENSIS  
ANTIQVIORIS PRAESIDI, PLVRIVM ACADEMIA-  
RVM ET SOCIETATVM SCIENTIARVM MEMBRO  
DIGNISSIMO REL.

# IO. GEORG. OBERTEVFFER

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORI

ARTIS OPSTETRICIAE MAGISTRO SOCIETATIS  
MEDICO CHIRVRGICAE PER HELVETIAM COR-  
RESPONDENTIS MEMBRO COMMITTENTI COL-  
LEGII SANITATIS CANTONIS SENTIS MEMBRO  
DITIONIS HERISAVIENSIS PHYSICO  
PATRI OPTIMO PEI COLENDΟ,

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS  
SACRAS ESSE VVLT  
TANTORVM NOMINVM  
CVLTOR OBSERVANTISSIMVS  
OLIMQVE DISCIPVLVS  
AVIDISSIMVS  
ATTENTISSIMVS  
AVCTOR.

---

## PROOEMIUM.

---

Dum fere triennio abhinc medicinae utriusque studiis, in celeberrima musarum sede, quae Ienae Saxonum floret, operam dedi, et ibidem sane diutius commorari iuxta mentem dilecti parentis mei, decreveram, immo alias Academias frequentare mihi iam ab ipso, qua est in me benevolentia, concessum fuerat. Ecce! ex improviso patriae meae Neogallorum respublica bellum et minata est, et postea revera intulit. Hoc vero periculum, quo mihi nullum maius et gravius esse videbatur in mente mea ingratissimas gravissimasque excitavit sensationes ut subito mihi cum socio et Amico meo, cl. SCHINZ, Turicensi, animo proposuerim examina subenu-  
di

di et patriam repetendi. Quo facto, spectabili facultati medicae placuit, mihi honores privilegiaque medicinae doctoris concedere, simul autem mihi imperare, ut ipso, quam primum fieri posset, dissertationem inauguralem transmitterem.

Domum reversus, contra intentionem et normam studiorum meorum, a carissimo patre excogitatam propositamque, medios inter bellum tumultus, variaque inde sequentia infortunia vivens, et postea munere chirurgi exercitus donatum, variisque aliis negotiis tam practicis, quam domesticis obrutum, vexatumque me iuvenem adeo, vidi, ut promissis meis maturius flare vix potuerim. Spero igitur fore, ut grata facetas medica Ienensis seriorem adventum Speciminis Academicis haud meae negligenteriae, sed potius periculis patriae imminentibus adscribere velit.

Cum autem de conscribendo specimine inaugurali cogitarem, ex illa scientiae parte, quae artem obstetriciam spectat, feligere materiam praeprimis mihi placebat, et praesertim *de tractatio-*

*ctatione Secundinarum post partum remansarum,*  
tam therapeutica, quam et manuali, et chirur-  
gica, verba facere mihi quam maxime arridebat,  
quum semper mihi animus fuerit, de nulla ma-  
teria publice differere, nisi propria experimen-  
tis cautisque observationibus sufficienter edoctus  
ac suffultus fuerim.

Igitur in patria spatio duorum annorum  
eum dimidio satis numerosa occasio mihi se-  
praesentavit, placentas remansas observandi et  
curandi, eoque libentius huic operi me accinxi,  
minime ignorans, plurimas lites ac diversas qua-  
ftiones inter artis peritos, alias bene de re ob-  
ftetricia meritos viros, non absque ridiculo liti-  
gandi ardore et doctis minus decenti verborum  
amaricie ortas ac publice gestas fuisse. Alii  
enim separationis placentae negotium semper  
naturae committendum esse contendebant, alii  
solummodo certis in casibus, ac sub certis cir-  
cumstantiis separationem suadebant, alii eam  
semper, id est, in omnibus casibus ac sin-  
gulis circumstantiis adhibendam suadebant.  
Imo, proh dolor! quod turpe est! ac doctis  
viris

viris indignum, scripta ipsa ex odio hominis indecenti verborum forma deturpata fuere, ita quidem, ut eos arti salutari plus nocuisse, quam profuisse re ipsa mihi videantur. Sed et minime tacendum mihi est, varios experientiis ac argumentis certis suam hac in re ardua sententiam in verum artis emolumentum superstruxisse, atque de obstetricia Arte, et genere humano quam optime meruisse.

Hicce labor, quamvis iuvenilis, minime hypothesibus auctoritatibusque, vel phantasiis, multo minus iuramento in verba magistrorum suam debet originem, sed potius experientiae duorum artis peritorum, et tam ingenii acumine, quam et scientiis necessariis praeditorum viorum, plus quam Septuagenariae, scilicet avi patrisque mei, et propriis meis caute ac summa cum attentione, licet paucioribus, institutis observationibus. Utinam aliquid contribuere valeret haec dissertatiuncula, ut contrariae opiniones de ardua hac re auctorum et aliorum de re obstetricia optime meritorum mentes inter se uniantur, ut artis discipuli in posterum certioribus,  
et

et paribus principiis imbuantur, et in posterum  
meliores naturae perscrutatores, cautoresque  
observatores vulgus obstetricantium producere  
valeat, quam hucusque factum est!

Velint B. L. de contentis harum pagellarum  
benigne iudicare, et iuveni in scribendo hacte-  
nus nondum exercitato errores commissos bene-  
vole ignoscere!

---

*Placenta*

*Placenta, Secundinæ, Gallis arrière faix, secondines, Germanis Nachgeburt, Mutterkuchen, est corpus spongiosum, fere subrotundum, tela cellulosa et vasis sanguiferis conflatum, cuius facies interna utero cellulose telae ope annexa, et cuius vasa mirabili contextu, vasis uterinis respondent, externa facies tunicis foetum aquaque obducentibus tecta, itaque foetum respicit. Ex eiusdem convexa superficie, vix media, magis laterali parte oritur funiculus umbilicalis, duabus arteriis et una vena, cellulose telae ope iunctis conflatus, tuniceque ovum includentibus tectus. Est ideo placenta corpus intermedium matrem inter et foetum, cuius sanguifera vascula mirando, hucusque ignoto, vix vero unquam satis detegendo modo, cum vasis uterinis correspondent, cuius ope sanguis ex matre in foetum funiculi umbilicalis auxilio adducitur, ergo, nutritio incrementumque foetus per dictum corpus perficitur, estque respectu physiologico maximi momenti ac summae utilitatis.*

Patholo-

Pathologico respectu placenta summi momenti est, si a naturali consistentia recedit, vel volumine, vel substantia, vel nexu peccat, foetum exinde pati, tam physiologiae, quam et pathologiae gnari uno testantur ore.

Ergo tempore graviditatis, et post partum ejus naturalis, aequae ac praeternaturalis status obstetricantium summam mereri attentionem nullus omnino dubitabit.

Absoluto partu, foetus in naturali statu, uterus sese propria a summo creatore ipse indita vi, contrahere, placentamque tali modo separare et expellere valet, hocque plerumque, etsi non semper fieri solet. Omnis aevi experientia testatur, non solum in brutis animalibus, sed et hominibus naturam quandoque aberrare, id est, placentam vel per longioris, vel brevioris temporis spatium in utero remanere posse nec artis tyronibus, nec plebi ignotum est.

Dolores a contractione uteri, vulgo sub nomine dolorum post partum (*Nachwehen*) satis noti sunt. Durantibus illis, uterus ad formam globi sese contrahere et sensim ratione voluminis diminui tangenti manui, externae abdominis inferiori parti appositae summe sensibile et perceptibile est durantibus illis, naturali in statu, exclu-

exclusa, vel remansa placenta aliquali haemorrhagiae locus est, quae quidem posteriori in casu copiosior, quam in priori esse solet, praesertim si qua pars placentae iam separata est. Quo enim maior separatio, eo maior haemorrhagia est et vice versa.

Perpetua est perque universam naturam, praesertim per regnum animale, stabilita ab initio creationis lex, ut causis effectus respondeant, ac pari passu incedant, et eadem hic locum obtinet. Deficiente vel sublata causa, tollitur effectus, id est, si uterus vi tua vel in totum, vel ex parte caret, inaequales fiunt contractiones, placenta remanent, vel longius, vel brevius, aut nulla omnino fiunt, letalis ergo fit haemorrhagia, sitne placenta separata ex parte, vel remanens, si universalis adest atonia, ergo insequitur mors inevitabilis.

Prouti placenta, sic et funiculus umbilicalis nexus, substantia et volumine peccare solet, quod attentis observatoribus non ignotum est, quippe nimis longus aut brevis mortem foetus, abortum, aut partum praematurum efficere valet.

Situs, vel praeternaturalis placentae, vel eius morbosus status, dolores ad partum diminuere,

nuere, vel plane impedire possunt. Tunicae vel membranae foetum aquasque includentes, et ovum una cum secundinis efformantes, crassitie aequae ac tenuitate deficere valent, nimis crassae partum prolongare, tenuiores praecocem, imo et tardiorem reddere, vulgus obstetricantium non nescit.

Ideo ruptio tunicarum foetum obducen-  
tium artificialis, in naturali partu semper omit-  
tenda, et tanquam opus naturae proprium eidem  
soli committenda est. Tyrone artis nostrae  
minime latet, fere semper placentam in illa su-  
periori uteri parte, quem fundum vocant, sitam  
esse, aut utero adhaerere, illam autem, in om-  
nibus uteri partibus locari posse experientia fa-  
tis evictum est.

Si illa colli uteri parietibus adhaeret, par-  
tus tardior difficiliorque redditur, in dextro aut  
sinistro latere corporis matricis haerens, iuxta  
plures non infimae famae obstetricantes, situm  
obliquum proferre, res satis nota est: Ego vero  
dubius haereo.

Perversum placentae situm, vel solum, vel  
aliis causis concurrentibus, partum retardare, et  
expulsionem propriam vel difficiliorem, vel om-  
nino impossibilem reddere, extra omne dubium  
positum est.

Hae-

Haemorrhagia ex utero, una aut pluribus vicibus et absque doloribus ad partum apparens, vel ab aliqua placenta parte separata, vel a situ placenta supra orificium uteri originem trahit hunc vero situm omnium longe periculissimum esse, iamiam satis probatum est.

Hicce sub circumstantiis grava statim lectum petere debet, obstetrix, vel obstetricator, subito explorationem manualem suscipere, dein statum morbi, nec non habitum corporis sedulo inquirere. Si plethora, aut inflammatoria diathesis praesens est, methodus antiphlogistica adhibenda, si debilitas vel atonia totius corporis adeat, roborantibus militandum. Status vero spasticus antispasmodicis debellandus singulis tribus diathesibus, vel duabus posterioribus iunctis, methodus medendi mixta opponenda, externa remedia indicationi respondentia non omittenda sunt.

Si remediis idoneis iuxta artis salutaris solidas regulas adhibitis, haemorrhagia cessat, partus naturae relinquendus, perdurante fluxu sanguineo, satisque aperto uterino orificio, versio embryonis, vel foetus maturi, secundum artis regulas sine mora instituenda est; sit perfectus, naturalis, vel praeternaturalis infantis situs.

Hae-

Haemorrhagiae ante partum, una vel pluribus vicibus apparentes, ut plurimum praecursores, placentae supra orificium uteri adhaerentis esse solent, hinc talia sanguinis profluvia absque ulla alia causa externa vel interna sensibili subito apparent.

Dictum Secundinarum situm, omnium longe periculosissimum, et matris et foetus vitae summe noxium esse, omnium temporum et regionum obstetricantium cohors mecum consentit.

Cognoscitur ille tactu rite instituto, digito tangenti, uteri orificium plus vel minus aperatum, et axi pelvis respondens sese repraesentat, attamen nec caput, nec alia praevia pars embryonis, sed eorum loco corpus molle, spongiosum quasi percipitur, et sanguinis stillicidium dicto ex corpore quam perfectissime sentitur. Dolores illi veri vel perfecti partus plane absunt, imprimis praesenti ingenti sanguinis profluvio, minori fluxui dolores illi falsi, plerumque spastici sese adiungere solent. Sunt autem perdurantes summe nocivi, quippe effluvium sanguinis augendo, parturientem debilitant; ergo aut remediis, aut operatione manuali illis finis impo- nenda est. Praesente tali placentae situ, haemorrhagiae saepius recidivant, praesertim ulti-

mis tribus vel duabus mensibus, placenta vero praevia, tempus graviditatis raro ad finem producitur, sed saepius patiuntur gravidae partum praematurum. Quo saepius illae renovantur, eo periculosiores fiunt matri embryonique, quando quies, iunctis simul diaeta appropriata ac remediis internis et externis, nihil proficiunt, nondum satis aperto matricis orificio, ad partum artificiale, tanquam ad sacram confugiendum esse anchoram omnes suadent. Lento enim, ac iusto modo, manum sensim sensimque, absque damno in cavum uteri introducendam esse, omnes auctores docent.

Nam quo magis orificium uterinum aperitur, eo magis vasa placentae antea adhaerentia eius parietibus separantur, oscula eorum aperta hiant, sanguinemque fundunt. Igitur hocce multo plus, quam quocunque ullo alio in casu periculum in mora est. Facto partu artificiali, et antea non nimia haemorrhagia praegressa, plerumque uterus sese contrahit, et hoc modo sanguini effluenti obex ponitur, antecessa autem nimia haemorrhagia, oritur uteri atonia vel partialis, vel universalis. Haemorrhagia remediis aut cedit, aut perdurat, et misera famina ex sanguinis defectu (inanitionem nuncupant magistri) moritur.

Sub

Sub his circumstantiis ad interna externaque remedia, subito, ac solerter configiendum, et ad mortem usque continuandum est, nequaquam autem frictiones abdominales, et illa encheires a cl. PLOVCQVETO nuper divulgata, omnino omittendae sunt.

Sed de illis, quae ratione placentae ante partum praeter naturam fieri solent, solummodo in transitu egi. Nunc ad propositum proprius veniendum, atque curatius enarrandum est, qualia praeternaturalia cum placenta post foetus partum absolutum accidere possunt.

Antequam de statu praeternaturali loqui valeo, primo mihi dicendum est, quid iuxta suetas naturae leges sit et quomodo obstetricans sese gerere debeat.

Doloribus post partum statim incipientibus, atque utero sese contrahente, placenta vel in totum, vel ex parte uteri parietibus adhaerens sensim sensimque separatur, et vi uteri propria innataque expellitur. Hoc in casu, nullis sese manifestantibus convulsionibus, animi deliquiis, doloribus spasticis aut haemorrhagia profusa, exitus placentae naturae viribus relinquendus est. Illa enim expulsio ab omni tempore in naturali statu negotium naturae erat,

estque adhucdum, manebitque ad usque rerum finem. Porro certum evidensque est, naturam optimam esse morborum medicatricem, iuxta b. GAVBII, summi pathologi, effatum, obstetricans ergo est solummodo naturae minister, qui ipsi solummodo praeternaturali in statu apte ac commode succurrre debet.

Nec timeat offensas et periculum obstetrix vel obstetricans, quando partus placentae non statim sequitur partum infantis. Nam innumera exempla prostant, plenariam expulsionem demum post 6. 8. 10. 12. 16. 20. imo 56. et quod sane admirandum est, plures post dies (absque damno puerperae) factam fuisse. Puerperis bene valentibus, nulla encheiresi opus est, excepta interdum lenta ac cauta funiculi umbilicalis attractione. Pater meus, rationalis profecto et cautus obstetricans prioribus annis praeceos in omni partu placentam statim separavit, quia talia principia a b. FRIEDIO reliquisque hauserat auctoribus, etiam admonitus exemplo avi beatae memoriae, qui felix alias obstetricans, idem fecerat, sed eheu! cautor factus sententiam suam hac in re mutavit! Hodie si in urbe vel in vicinia partum absolvit, variis sub excusationibus secundinas relinquit, et observat summo cum gudio, plerumque eam vel citius, vel longius, natura expulsam esse. Quando vero

ro in alieno aut longe abhinc diffito loco obste-  
tricantem agit, per horam unam aut alteram  
expulsionem expectat, et si, durante hoc spatio,  
non fit, separationem caute instituit. Nam  
propter praeiudicia plebis helveticae nullus ob-  
stetricans puerperam derelinquere auderet, nisi  
facta placentae solutione: Alias famae suae quam  
maxime noceret.

Idem aliquoties observavit, adhaerente ex  
parte placenta, et inde orta satis considerabili  
haemorrhagia, non semper opus esse artificiali  
separatione, sed sanguinis fluxum aequre tuto,  
medicamentis internis atque fomentationibus et  
injectionibus frigidis fisti posse.

Ego ipse expertus sum, dum partum ge-  
morum absolvebam, et placentae separatae  
erant, in utero, id est, una in fundo, altera in  
posteriori corporis parte apparebat, quod priori  
artificiali separatione exempta, et orificio uteri  
postea spasmodice constricto, in utero altera re-  
manebat, et die tertio naturae viribus in vagi-  
nam propulsa est, unde levi opera illam, id est,  
leni extractione solvebam, eaque remansio pla-  
centae matri minime nocebat.

Puerperis, quibus placenta remanet, ple-  
thoricas vel febricitantibus, convenire diaetam  
tenu-

tenuem et methodum antiphlogisticam, iactura sanguinis vero debilitatis methodum oppositam, scilicet diaetam restaurantem, iunctis medicamentis roborantibus, artis periti non negabunt. Neminem obstetricantium Virorum, praesertim illorum legentium, ac eruditionis locupletationis studiosorum, latet, quantae et quam acres lites inter eruditos celebresque viros, de placenta vel separanda, vel relinquenda, ortae ac gestae fuere: sane dolendum omnino est magnos doctosque viros in extrema incidisse, atque sententiam diversam acerba quadam acrimonia (sit venia verbis)! propugnasse. Omnia vero extrema, in salutaris artis ambitu periculosa esse nemo nescit, praesertim hoc delicato in puncto talia miseris puerperis summe nociva fieri posse, extra omne dubium positum est, et his in casibus proverbium illud vulgare quam maxime quadrat, omne nimium vertitur in vitium.

Quivis obstetricans, animo quieto, ab omni systematis auctoritatisque praedilectione libero, diversas auctorum sententias opinionumque commenta diiudicare, et fundamenta quibus insituntur, summa ingenii attentione ponderare ac aestimare debet, dein experimenta sua conferre ac serio consulere, et tandem sistema, quod inde sibi sumferat, solido fundamento superstruere.

Ab

Ab animo quieto, meditatione haud exigua, experientia patris, ac propria usu, quae nunc medicorum et chirurgorum examini propono, nata et orta sunt, ulterior usus lacunas systematis explebunt; erroribusque meis, si qui insint, corrigendis inserviet. Sic veniam mihi peto, aliisque vicissim impertio, sic (spero) in posterum tyrones non amplius vacillabunt, mox in hanc, mox in alteram sententiam delapsi.

Extrema, in qua artis magistri illapsi videntur, sunt sequentia. Alii, praesertim antiquioribus temporibus placentae expulsionem remediis promovere studebant, alii semper post partum, placentae separationem artificialem, sine ulla exceptione ac dubitatione, statim suscipiendam suadebant, plures expulsionem placentae omnibus in casibus, sine ulla exceptione, naturae viribus committendam et relinquentiam esse contendebant. Mihi vero displaceat historice enarrare singulas lites, et tempus inutiliter terere, adferendis argumentis plus minusve arduis, quibus singuli fautores suam sententiam probare nitebantur, multo minus mihi animus est, multis differere de variis mediis viis, quas sequendas intricatissima hac in via suasere nonnulli optime de arte merentes viri. Illi mihi videntur maxime errasse, qui secundinas, expellentium medicaminum ope promovendum esse

esse persuaserant. Inter haec eminent aromaticae,  
et stimulantia, mixta terrefribus, naufragis etiam  
futilibus etiamsi, innoxii. Prostant tanquam  
artis prostibula, in veteribus dispensatoriis com-  
positiones pulverum ad partum, quae non solum  
empiricos et agyrtas, sed et ignorantibus veteri-  
narios dehonestarent. Qui quum talibus reme-  
diis ad expulsionem placentae uterentur, facile  
patet, eos generi humano summo in gradu no-  
cuisse, hancque methodum vel ex ignorantia,  
vel ex falsis principiis theoriisque ortum suum  
traxisse. Quis enim ex artis peritis non facile  
perspiciat, exaestuantibus et stimulantibus re-  
mediis, sanguinis circulationem valde augeri,  
febrein excitari, praesentem incitari, haemor-  
rhagiam cieri, instantem augeri, et exinde in-  
flammationem aut haemorrhagias letalem oriri  
posse?

Sed hodie maxima pars obstetricantium ta-  
libus non utitur; dantur tamen hinc et inde qui-  
dam aetate iam profecti chirurgi rurales, hac  
perversa methodo, hodie dum utentes, quorum  
ex numero patri meo noti plures fuere, sunt  
que adhucdum haud pauci, quin pessimas hinc  
ortas ipse observavit sequelas. Naturam ad ex-  
pulsionem placentae interdum, sed quidem  
rarissime, non sufficere hucusque negari minime  
potest, videtur ergo interdum egere auxilio  
mini-

ministrorum. Nam ubiuis prostant exempla mortuarum, ex sola secundinarum remansione indubitata, casus quindecim patri meo noti sunt, qui ruri contigere, quarum maxima pars ab obstetricibus chirurgisque ruralibus perversa nocuaque methodo medendi, id est, pellentibus sic dictis medicamentis, vino aliisque calidis, spirituosis non exceptis, orci faucibus tradita fuit. Id quod ex parte ipse observavit parens, ex parte ab idoneis valentibusque testibus audit. Nullus omnino dubito ubivis, faeminas cum placenta remansa mori, sed raro, equidem rarius, quam hic locorum, dum naturae melius consultur aptis remedii encheiresibusque etiam mihi plus quam probabile videtur, ex illis quindecim plus, quam dimidiā partem apta et exquisita medendi methodo ex orci faucibus eripi potuisse forsan apud plures, deficientibus naturae viribus, artificiali separationi locum fuisse. Meo sane iudicio haec allegata exempla, omnem placentae solutionem, sine exceptione, minime suadent, sed solummodo id probant, interdum placentam remanere vel ob spasmoidicas uteri stricturas, vel contractiones, vel propter fibrarum rigiditatem, vel propter debilitatam vim contractilem.

Si attentus ad phaenomena naturae, in partus utriusque negotio occurrentia, obstetricans,  
expe-

experientiam consulit, ac singula symptomata, bene rimatur, matureque animoque quieto praejudiciis libero considerat, facillime perspicet, quod, adhibita in singulis his casibus convenienti et causae morbi apta medendi methodo, mors a remanente placenta quam rarissima futura sit.

Pater meus cum aliis medicis vel post plures dies regimine ac medicamentis convenientibus sine ulla noxa placentae expulsionem observavit, et ruri semper accidit, ut a solis viribus naturae solutio placentae una cum partu absque damno puerperae absolveretur, imo prout in tota oeconomia animali, sic et hic quandoque miraculi instar fieret.

Periti rationalesque rustici, et veterinarii me certiorem fecere, placentam vaccis, capris, ovibus equisque, saepius ad 6. 8. 9. diem absque ulla noxa remanere, atque dein solis viribus naturae propelli, et si quando die 8. vel ad summum decimo, naturalis separatio non fieret, animalia plerumque febre mori et uterum inflamatum reperiiri. Idem viri, idonei satis testes, mihi narravere, saepe placentam iam separatam leni attractione umbilicalis funiculi posse extrahi, remansis per aliquot dies secundinis, foetentem ex vulva effluere faniem, denuo placenta

tam ut plurimum fortunato eventu, dictis animalibus separari, eventum sinistrum rudiori et ineptae manui vel ignorantiae separatoris esse adscribendum. Ex his sequitur, separationem placentae remansae post partum perarduum esse opus, ac summam attentionem et curam cuiusvis obstetricantis et obfetricis postulare.

Dantur enim casus, ubi separationis negotium quieto animo, salva conscientia et omni fiducia, naturae viribus relinquendum est, accidere possunt alii, in quibus viribus naturae non fidendum est, qui absolute separationem manualem postulant, sunt etiam nonnulli, qui ope medicaminum egere videantur quatenus vires naturales vel sustentandae, vel dirigendae sint. Huc pertinent plura in antecedentibus paginis a me prolata. Quando insana puerpera placenta ad tertium diem usque, imo amplius remanet et simul desunt symptomata adversa, nihil inde timendum noxae est, sed si per 8. dierum spatium in suo hospitatur domicilio, tanquam alieno, summa ut plurimum pericula inde metuenda esse autumo. Attamen hic locorum nulla regula sine exceptione est. Nam patri meo exemplum expulsionis naturalis post decimum quintum diem, salva matre, notum est. Imo nuperrime sagax, conscientiosa, artisque peritissima obstetrix Foggensis, ei narravit historio-

lam

Iam placentae decimo octavo post partum die factae, matre incolumi. Ex his similibusque fere innumeris et certis ab auctoribus hinc et inde narratis factis evidenter constat, quantae qualesque sint naturae vires!

Tres ergo status, ut mihi quidem videtur, distinguendi sunt.

Primo remansio placentae cum haemorrhagia iuncta, quae aut ratione copiae, aut ratione temporis auxilium obstetricantis desiderat; secundo placenta remanens, spasmis, animi deliquiis, convulsionibus et accessionibus epilepticis concomitata; tertio inclusio placentae, putredine et febre putridi generis nupta.

Quod ad primum attinet, remanente placentae cum haemorrhagia cito ad fomentationes frigidas dudum notas, et approbatas, ex partibus aequalibus aquae frigidae et aceti, et ad injectiones ex partibus septem aquae frigidae, cum parte una aceti fortis, constantes, augendo semper aceti proportionem iuxta experientiam optimorum seculi praeterlapsi magistrorum fugiendum est. Simul interne convenientia adhibeantur remedia. Si obstetricans vel levi attractione umbilicalis funiculi vel exploratione manuali certior factus est, secundinas ex parte

parte utero adhuc esse adhaerentes; si vero una vel ambabus dictis encheiresibus edoctus est de plenaria placentae solutione, illam, si haemorrhagia vehemens est, relinquere potest, quia ad instar thrombi sanguinis effluvio obicem ponit: si vero sanguinis fluxus moderatus est, et contractiones uterinae recte fiunt, tunc leni attractione umbilicalis funiculi, si ille sanus et fortis est, eam extrahere debet, sin vero tota placentae massa vaginam implet, tunc extractionem digitis adiuvare debet. Idem faciendum est, presente morboso, et nimis molli funiculo.

Signa placentae solutae pathognomonica sunt sequentia, dolores post partum, uterus globi ad instar inter umbilicum et symphysein ossium pubis, ad dextrum vel sinistrum latus inclinans, externe manu imposita tangendus, prolongatio sensibilis funiculi leni cautaeque attractioni insequens pondus sensibilis in inferiori uteri parte, ab ipsa puerpera perceptum, et conatus mingendi, placentam iam ad ostium uteri, vel ad ipsam vaginam pervenisse satis superque monstrant.

Quandoque placenta iam soluta a parietibus uteri sibi invicem quasi applicatis retinetur. Hoc in casu, quando rectiformibus funiculi attra-

tractionibus non sequitur, manu enucleanda est, si supradictis internis externis et remediis, haemorrhagia non cedit, nullaeque contractiones matricis insequuntur, atonia uteri subsit, statim manus ex mixtura aceti et aquae frigidae partibus aequalibus madefacta in uterus introducenda, isque digitorum ope irritandus est. His si uterus non contrahitur, manus educenda, et spongia ex ea mixtura saturata ingerenda leniterque exprimenda est. Hac encheiresi aliquoties frustra repetita, mors sane in proprinquo est, miseraque puerpera, inanitione sanguinis, ab plenaria uteri atonia effecta moritur.

Licet praesentibus uteri haemorrhagiis, ab artis principibus artificialis separatio suadeatur, tamen pater meus variis avi propriisque experimentis infelicibus deterritus, praesente sanguinis fluxu, placentam hodie non separat, sed tam internis, quam et externis remediis, quae supranominata sunt, haemorrhagiam paullum fisti, vires uteri excitari, placentamque foras expelli magno sane cum oblectamento haud semel expertus est. Nuperrime mihi dixit, deserui illam operationem et cum meliori methodo commutavi, ergo, dum vixero, instante sanguinis effluvio, placentam nunquam separabo, unico illo casu excepto, si scilicet separatio artificialis vel ab ipsa puerpera, eius marito, vel a cognatis

tis

tis atque amicis absolute petitur, si que omnes de periculo huius operationis, talibus praesentibus circumstantiis, nec verbis, nec demonstrationibus convincendi sunt. Hanc regulam, tanquam Axioma practicum, obstetricantibus et obstetricibus ruralibus summopere commendat et sedulo inculcat et eius veritatem suis experimentis abunde probat, unaque perlubenter concedit dari forsan casus, in quibus haemorrhagiae astrigentibus non fistendae videantur et magis separatio instituenda sit, sed his quidem rarissimos esse profitetur.

Haemorrhagiae, vel naturalem, vel artificialem placentae partum sequenti, ante dictis remediis commode succurritur. Ego quidem in desperato casu usus sum compositione e tribus partibus aquae frigidae, et una parte aquae vulnerariae Thedenii conflata, magno profecto cum successu. Hac fiebant et iniectiones uterinae et fomentationes externae, balnea tepida manuum ac etiam brachiorum cum fructu exhibentur, imo iuxta experientiam patris longe meliorem effectum edunt balnea frigida his partibus superhabita, attamen in valde debilitatis haud applicari possunt. Hac occasione mihi adhuc monendum esse videtur, quod ab separatione placentae ex parte adhaerentis adiuncta haemorrhagia et uteri plenaria inactivitate, eius vires magis debili-

bilitari, quam excitari videantur, et quod injectiones, atque manipulationes frigidae adiunctis lenibus abdominis frictionibus, multo maiorem vim irritantem, id est, uteri vires constrictorias excitandi possideant separatione placentae artificiali, totoque coelo differrant, longeque superent.

Obstetricantes non ignorant, si placenta ad dimidiam, vel maiorem partem utero affixa est, satis notabili tempore, ad plenariam solutionem opus esse, sub quo magna, imo saepe prodigiosa sanguinis copia, in summum miserandae puerperae detrimentum stillare solet, hiantia ac per solutionem artificialem vi quadam aperta uteri vascula ad uteri contractiones usque aperta manent, et si illae remorantur vitalis humoris perditione, iam debilitata femina in maius vitae periculum praecipitatur, animi deliquia et convulsiones insequuntur et sub his calamitatibus finis vitae imponitur. Parens plura horribilia exempla mihi narravit, de infuscatis, durante artificiali placentae solutione, mortalibus haemorrhagiis, et inde infascuta plenaria uteri atonia, quin quivis artis ignarus facile perspiciet, longe aliter rem sese habere, dum injectiōnibus fomentationibusque adstringentibus frigidiusculis, fibrae musculares irritantur, oscula vasorum hiantia contrahuntur claudunturque,

fan-

sanguis effluens coagulatur et in massas vel globos quasi, sanguineos congrumatur, quae sanguineae massae, spatum uterinum replent, et ita modo quasi mechanico ostia vasculorum obturando ulterius effluvium impediunt, exhibitis simul internis appropriatis remediis, vires naturae debilitatae reviviscere incipiunt, activitas uteri renascitur, et massae sanguineae diversae magnitudinis, imo non raro enormes volume, sine ulla noxa expelluntur. Praeterea tristibus his in casibus quies animi, et corporis, decubitus in lecto horizontalis, nec non aer recens et purus, suam in salutem faeminae, symbolam, quam per se non contribuere valent,

Hoc in loco non tacendum ruri in diffitis a chirурgo obstetricante pagis, multas puerperas ab remanente placenta, iuncta simul haemorrhagia, solis naturae viribus liberari, plerasque ab obstricibus, vel artis suae peritis, vel et ignorantis, manu et placenta liberatas, et morte ereptas esse, easque per longum tempus, et non raro per reliquam vitam valetudinarias manuisse. Hoc phaenomenon uti mihi videtur, etiam coagulato sanguini in vacuo uteri, hospitanti, et vasculorum ostiola claudenti, praeleniti adhuc quadam uteri vi tribuendum est, presente vero totali atonia, vel statu quasi paraliti-

C

co

co uteri omnem sanguinem effluere, prouti iam in praecedentibus satis dictum est. Facile exinde elucescit, adhibita iusta medendi methodo, plures matres utiles, non sufficientibus naturae viribus, servari posse.

Hucusque dicta sufficere censeo ad probandum veritatem, nempe methodum diaeteticam et therapeuticam his in periculis casibus manuali longe paeferendam esse et tam ex dictis, quam et ex infra dicendis facile eruendum esse, plura ac ponderosiora argumenta relictioni placenta, quam separationi facere. Neque vero hic ulla regula sine exceptione est, ergo ulterioribus adhuc experimentis opus est, antequam in totum reiiciatur placenta separatio.

Arduum nunc aggredior opus: Mihi enim dicendum est de medicamentis internis his in casibus ab omni tempore commendatis, haec vero, cum non statim in loco necessario vim suam exercere valeant, sed prius in intestinali canali resorberi ductui thoracico exindeque toti sanguinis massae tradi debeant, sane illa lenta vi operari videntur, quin timendum est illa maxima ex parte virium suarum, ob tantum iter privari, et hinc plane inertia, inefficacia inutiliaque redi, Saltem in subitaneis haemorrhagiis,

giis, quibus mox perit puerpera, nullum salubrem effectum ab illis sperandum esse, mecum omnes obstetricantes consentire vix dubito. In haemorrhagiis parcioribus, per longius temporis intervallum perseverantibus, mihi iisdem denegare effectum omnem non est animus, praesertim quum teste tantorum in arte virorum, experientia, illa cum notabili, et praeclaro effectu, exhibita fuere, imo et illa iusto modo, et suo quovis in casu, id est, postulante indicatione, externorum effectum coadiuvare, et aliquo modo votis nostris respondere non negandum sit.

Antiquiores medici solebant magnas virtutes tribuere corallis, margaritis similibusque terrestribus inefficacibusque pharmacis, imo aliis absurdioribus desperatis adeo in casibus lusere, sequē ipsos, magisque aegras fefellere, prudenterores ea quidem salibus mediis, aut nitro miscuere. Progressu temporis, ditata, explanata ampliataque scientia medica, talia inertia, ex medicamentorum apparatu expulsa, iisque meliora et efficaciora substituta fuerunt. Difficilem ac delicatam esse rem, cuique casui appropriatum hoc est, indicationi satis respondens opponere remedium, extra omnem dubitationem positum esse, mihi verisimile appareat. Nullum

C 2

enim

enim existit medicamentum haemorrhagiam su-  
bito suppressans nullum, quod omnibus haemor-  
rhagiarum causis medeatur. Adstringentia sic di-  
cta remedia, contra haemorrhagias diuturniores  
ac quasi chronicas multum praestant, sed subi-  
taneis et copiosis frustra opponuntur, et non  
nunquam usus eorum periculosus est, ex. gr. lar-  
giores doses aluminis vomitum ciere, et inde,  
peracto totius corporis concussu, haemorrhagia  
giam augere compertum est. Usum igitur in-  
ternorum medicaminum accuratius rimandum  
esse existimo.

Quando internis remediis haemorrhagiae  
finem facere cupimus, distinguendum est inter  
haemorrhagias subitaneas, atroces, mox letife-  
ras, et inter haemorrhagias lentas, tantum per-  
manentia sua vitae periculosas. Haemorrhagiae  
vehementes, impetu non solum, sed et copia pro-  
ficientis sanguinis, periculosae, letiferaeque eva-  
dunt his pharmacis obviam itur. Nam metho-  
dum empiricam singulis in casibus adhibere, id  
est, unum idemque remedium semper ac sine  
ullo discrimine propinare aequae periculoso  
ac ridiculum esset. Status phlogisticus, vel ha-  
bitus plethoricus hoc symptoma non ita raro  
excitare valet, cognoscitur, pulsu pleno, forti,  
mox plus, mox minus duro, lingua rubra pura,  
oculis vivacibus, colore faciei rubro, calore cor-  
poris

poris naturalem excedente, ceterum aegra bene  
valente, viribus naturalibus. Hocce in casu  
quadrat nitrum, extracto hyosciami, syrupo  
diacodii, et aqua florum chamomillae marita-  
tum, sub mixturae forma. Cremori tartari,  
sali essentiali tartari, mixturae Riverii, aliisque  
compositionibus, aerem fixum gignentibus, pa-  
riter locus est, aeri frigidiusculo, potui acidulo,  
nec non corporis animique quieti eaedem tribu-  
endae sunt vires.

Si status sensibilis, ex. gr. hystericus, aut,  
ut vocant, nervosus vel spasticus praedomina-  
tur, iunctis simul animi affectibus, qui cogno-  
scitur tam praesentibus, quam et antecedentibus  
symptomatisbus: his in casibus antispasmodica  
indicantur, suntque optima et efficacissima stie-  
ptica. Huc pertinent opium vel sub forma pi-  
lulari vel tincturae, vel mixturae, extractum  
hyosciami pari sub forma, castoreum, asa foeti-  
da, radix valeriana etc. Iuncto simul phlogisti-  
co statu admisceantur antispastica temperanti-  
bus, ex. gr. tinctura thebaica cum spiritu nitri  
dulcis, vel exhibetur famosa illa cl. SAXTORPHII  
mixtura ex Ra thebaica, spiritu nitri dulcis et  
liquore minerali anodyno Hoffmanni partibus  
aequalibus constans a dilecto parente tantopere  
amata. Huc pertinet illa mixtura cl. MURSIN-

NAE

NAE Ra thebaic. nitro ∇ fl. Samb. et Syr. Diacodii composita. Quandoque statui nervoso debilitas iuncta esse solet, tunc, urgente necessitate, dicta remedia roborantibus commiscenda, ex. gr. aqua cinnamomi aquosa, vinosa, tinctura cinnamomi, pulvere cinnamomi, aqua melissae, rarius aqua menthae piperitidis. Cortice peruviano, praesertim infuso vel leviori decocto non nulli utuntur cum successu.

Vomitu presente, indicatur mixtura Rive-  
rii iunctis simul ante laudatis remedii. Haemorrhagiae ex ira provenienti medetur, infusum valerianae, vel chamomillae, vel iuncti addito in statu phlogistico nitro, in opposito cremore tartari, non raro admixtis parcioribus dosibus rhabarbari, praesertim eius tincturae aquosae. Praedominante statu cachectico, cacochymico vel debili, propinanda sunt roborantia ex genere illo excitantium, e. gr. famosa illa mixtura SWIETENII, aut quod idem est, PLENCKII ex aqua et syrupo melissae, et tinctura cinnamomi confans, cui et iungitur lapis haematitidis. Huc et pertinet efficax ille pulvis celebris STAREKII, praceptoris nunquam satis laudandi et ad cineres usque colendi, qui ex cortice cinnamomi faccharo et haematitidis lapide constat. Non raro moschus his in casibus egregios edit effectus,  
pater

pater hand ita pridem, simili in casu, aliis in cassum adhibitis, illum miracula praestare observavit; aliquoties ille cum fructu propinavit tincturam tonico - nervinam LA MOTTE.

Verba nunc facienda sunt de haemorrhagiis, longiori duratione periculum inducentibus. Rarissime his in casibus reperitur phlogisticus status, et si reperiatur, antiphlogisticis militandum est. Saepius deprehenditur praedominans spastica dispositio, orta a nimia sensibilitate nervi systematis auctaque irritabilitate fibrarum muscularium, sed de hac et eius therapia in antecedentibus iam verba feci. Solummodo hoc reliquum habeo, antispastica interdum prudenter combinari cum incrassantibus, scilicet spiritu vitrioli, spiritu sulphuris per campanam elixirio acido HALLERI et VOGLERİ.

Nostris temporibus, praesertim his in terris, saepissime, imo fere semper invenitur status vel habitus ille cachecticus, debilitate, vel diminutione vis vitalis, laxitate solidorum, et nimia fluidorum tenuitate constans. Hic indicantur roborantia, irritantia, ac incrassantia, cortex cum acido vitriolico vel alia compositione acida, cum valeriana, etiam cortice cascarillae vel quassiae ligno nuptus, varia sub forma, plerumque illa decocti. Non pauci alumnen, aut

cam-

camphoram iungunt, praesertim illa praeparata ex cortice illo divo cinnamomi, aliis indicatis remediis iuncta.

Sub frequentia cachectici corporis habitus, vires cinnamomi egregiae vim vitalem et nervorum torporem incitandi atque augendi valent. Quo respectu ille ceteris omnibus remediis palmarum eripit, et optimo patri prae ceteris placet. Facile igitur perspiciendum est, quare mixturam SWIETENII ac pulverem STARCKII tam magni faciat, melissae praeparata viribus systemati nervoso convenientibus pollere, nullus rationalium medicorum negabit, lapidi vero haematitidis, medicamento ferreo, vires roborantes et sub astrigentes attribuendas esse, non est diffitendum. Illum autem singulares vires stypticas exferere posse, et alia praeparata ferrea longe superare, solummodo nimis credulorum nugivendulorumque res est. Dum vero lapis ille ventriculo, uti mihi videtur, difficulter ac lente solvit, non sine fructu reor, illi substituendum foret, aliud praeparatum martiale, nempe mors ille solubilis, vel etiam sal martis, iuxta dispensatorium Londinense praeparatus, et ex limatura ferri cremore tartari constans.

Si tam internis quam et externis remediis folerter ac prudenter applicitis, haemorrhagia  
non

non suprimitur, et vel puerpera, vel adstantes ob nimiam fiduciam separationem artificialem, absolute et quasi tumultuoso modo desiderant, obstetricans illis statum periculosum incertumque operationis exitum indicare, et tandem perseverantibus illis operi magnum admovere debet.

Sinister enim eventus, his in casibus minime obstetricanti, sed praejudicio illo:rum est adscribendus. Mihi semel accidit, ut talium hominum desideriis satifacere me coactum vide:rem, et quidem eventu exoptato, postea vero duodecies sinistro a parente tentatam fuisse artificialem placenta separationem percepit. Ecce historiam! Primiparae vingiti octo annorum, post partum naturalem levissimum duabus horis, sanguis absque doloribus e genitalibus impetu profluere cepit. Accersitus levi funiculi attractione, de adhaesione aliquali placentae certior redditus, simulque aliqualem uteri inactivitatem suspicatus, statim adhiberi fomentationes frigidas, ex partibus aequalibus aquae fontanae et aceti iussi, ipse injectiones feci ex aquae frigidae partibus et aequalibus aceti, simulque exhibita fuere interna remedia. His incassum tentatis, introducta dimidia manus parte, placentam reperi adhaerentem, supra symphysein pubis ossium,

offium, in parte illa antica uteri, quam cautissime separavi, postea in usu externorum internorumque remediorum porrexi. Hinc uterus sese contraxit et sanguinis effluvio obicem posuit, debilitata aliquantis per puerpera mox priftinam recuperavit sanitatem. Placenta remansa forsan impediverit tactum universum liquidi iniekti, versus parietes uteri, an iniectum liquidum nimis debile fuerit, non liquet. Posterior conjectura mihi verosimilior videtur priori. Nam pater optimus semper iniicit partes aequales aceti et aquae, imo non raro partes tres aceti uni parti aquae, ante vero et post enarratum casum externa haec remedia semper mihi optatum praefliterunt effectum. Forsan non debito temporis spatio haec remedia continuata fuerunt. Dum remansio placentae, spasmis, convulsionibus epilepticis aut animi deliquiis associata est, ad sequentia preeprimis attendendum esse videtur, puerpera sit hysterico malo affecta, an valde sensibilis et irritabilis, an atroces dolores post partum adfuerint. Hoc enim significare mihi videtur summum cum utero nexum, quem etiam vehementissimae contractiones vix tollere valent.

His duabus causis concurrentibus, convulsiones et epilepticos insultus oriri opinor. Spasmi,  
vel

vel animi deliquia, vincuntur antispasmodicis opio, rad. valerianaee castoreo, floribus zinci, elaeo saccharo chamomillae vel valerianaee mixtis praesentibus animi deliquiis et medicamina volatilia, naribus admovenda sunt, ex. gr. spiritus salis ammoniaci volatilis, liquor cornu cervi succinatus, balsamum vitae HOFFMANNI similiaque.

Paroxysmis epilepticis sese manifestantibus, moscho, castoreo, liquore cornu cervi succinato, floribus zinci interne externe cataplasmatibus fomentationibusque antispasmodicis ex emollientium genere cum hyosciami foliis vel eorum oleo commixtis, vel inunctione ex camphora, laudano oleo hyosciami et chamomillae, aut linimento volatili obviam itur, neque injectiones ex mollientium genere, negligendae sunt, e. gr. decoctum theae aut radicis altheae cum chamomillae vel malvae floribus, huic inservit scopo.

Supervenienti uteri inflammationi antiphlogistica methodus opponenda est. Convulsiones remanenti placentae infecutas, pater sexies, animi deliquia syncopenque pluries, matutus epilepticos bis observavit, omnes puerperae naturae viribus placentae liberatae fuerunt post

5.

5. 6. 8. 9. et plures adhuc dies recuperaveruntque pristinam valetudinem.

Obstetricios viros minime latet, placentam quandoque in cavo uteri remorantem in putredinem vergere, vel ex parte, vel in totum, si tota, aut solummodo eius pars soluta est, illa, quae nexu uteri destituta est, sua nutritione privata in calido habitaculo, quasi emoritur, abitque in veram putredinem; attamen hoc in una femina plus, in alia minus fieri, multi, cum patre meo experti sunt, interdum longius remorans placenta sana est, dum e contrario non ita longe ibidem retenta aut in putredinem vergit, aut re ipsa putreficit. Talem placentam per septem dierum spatium inclusam sanissimam inventit, aliam post dies quatuor plenario putridam casei putrescentis odore reperiit, et quod summe mirandum est, salva matre, et omni febre libera quin, testibus obstetricibus, interdum tertia, imo secunda die satis foetidum spargunt odorem.

Causam citioris et maioris, vel minoris putris gradus non solum ab eius maiori vel minori cum utero cohaerentia, vel plenaria statim post infantem natum, orificio uteri clauso, solutione pendere plus quam probabile est, sed et hic

hic multum corporis habitum conferre, haud dubitandum est, propter temperamentum, vel et idiosyncrasiam cuiusvis feminae in uno corpore putredinis gradum citius, in alio serius oriri, revera praesupponendum est, si febris simul adeat, putridum gradum facilius procreari, quam absenti omni febre, haud dubitandum est. Pariter in altera, absente adhuc febre, illam ab placentae inclinatione in putredinem, vel vera putredine, facilius incitari, quam in altero evictum multiplici obstetricantium virorum experientia est.

Status putridus placentae utero inclusae cognoscitur odore foetido putrescente ex vaginae orificio proveniente et conclave, plus minusque replente, sanie, plus, vel minus cum pure mixta, maiore vel minore foetore, dicto ex loco profluente, intermixtis non raro ipsis placentae putrefactas particulis, maioribus vel minoribus, funiculo umbilicali quasi incarcerated, febre maiori aut minori gradu associata.

Hicce sub circumstantiis sequentia adhibenda esse censem artis magistri. Iniectiones ex corticis peruviani decocto, cum pauciori quantitate salis ammoniaci mixtae, omni hora, vel  
et

et bihorio fieri debent, nonnulli cortici herbas subadstringentes, vel decocto aliquam aceti partem admiscent, fluida vero tepida iniicienda esse neminem latet. Externe fomentationibus antisepticis frigidis locus est, quae omni bihorio repetendae sunt, dum per spatum quadrantis horae, vel dimidiae horae applicatae fuerunt, abdomen caute detergendum et siccandum est, donec iterum applicatio sit nova.

Uterus dictis iniectionibus ab sanie quasi purgatur et remanente iniectionis materia, putredini placentae et uteri inflammationi solummodo in tantum, quantum fieri potest resistitur. Dum vero externis minime sufficientes vires sunt atroci malo medendo, ideo his merito interna remedia associanda sunt, quorum viribus magis fidendum esse multiplici auctorum experimento constat. Illa vero ex antisepticorum genere eligenda sunt, inflammatoria diathesi praedominante, pulsu pleno, duro veloci praesente, interdum venaefectio indicatur, et simul antiphlogistica antisepticis admiscenda sunt, pro potu ordinario potus ille citratus (sub nomine limonade) notus vel naturalis, vel artificialis, aqua fontana syrupo rubi idaei, berberum, vel alio huius generis edulcorata, admixto nitri dulcis spiritu, vel HALLERI, vel VOGLERİ acido,  
vel

vel vitrioli seu sulphuris spiritu, impraegnata intentioni medentis respondet.

Sordes primarum, viarum si qua adsunt, mobiles facienda, deinde iuxta diversam indicationem, sursum per vomitum ex ipecacoanha, deorsum ex rhabarbaro et minori quantitate salis cuiusdam medii generis educenda, superbibendo largiori quantitate infusi florum chamomillae vel millefolii.

Debilitati virium et statui quasi nervoso (sit venia verbo) ubi vis vitalis maxime immunita est, et putredinis gradus obtinet summus, convenit decoctum vel infusum corticis frigidum, mox camphora; mox acidis vel vegetabilibus, vel mineralibus, mixtum, prout omnia vel simplicia, vel composita acida huic statui convenient, ita et elixirium illud MYSICHTI. Liquor ille anodynus mineralis HOFFMANNI, ob notas suas antisepticas excitantesque vires, maxime commendandus, sed largioribus dosibus exhibendus, ad minimum uncia semis quotidie consumenda est. Diaetam pariter indicationi adaequantem rem magni momenti esse, nemo inficias ibit. Ergo sit plus minusve antiseptica, vel nutriendis, restaurans, potui acidiusculo non raro, vinum maiori, vel parciori quantitate miscen-

miscendum, vel substituendum est. Sitne potus generis antiseptici, an roborantis, an temperantis, semper larga copia hauriendus est, imprimis urgente necessitate. Etiam ab initio iam adhibita adaequata medenti methodo, vel febris putrida ipsa praecavetur, vel curatur rariusque mors sequitur.

Placenta putrida corrupta eliminata ex corpore, usus iniectionum rarer sit per duarum vel trium dierum spatum continuandus, et postea commutandus cum infuso, vel decocto florrum chamomillae, millefolii vel spec. emollientum, vel subadstringendum. Neque reticendum est florum arnicae tam internum, quam et externum usum, symptomatibus sic exigentibus, magna miraque praestare.

Methodo interna probe indicationibus adaptata, ad plenariam puerperae restitutionem pergendum esse videtur. Experientia etiam plus, quam probatum est, antea laudata methodo, placenta liberatas postea ut plurimum perfectiori frui sanitatis gradu, artificiali separatione liberatis non paucioribus.

Illa inclusio secundinarum (auctores placenta tam incarcerated nominant), nostris in pagellis

Iis peculiarem maturamque) sed vires iuvenis nec docti, nec satis experti longe superantem) meretur considerationem. Efficitur illa uteri inaequali, subitanea, partiali haud integra, secundinas, vel nondum, vel ex parte tantum solutas, circumcingente, easque ita includente contractione. Ut plurimum placenta incarcерata soluta deprehenditur obstetricantium manibus, suo in carcere (avus ergastulum appellat) interdum pars eius vel tota massa adhaeret, et quidem adeo fortiter utero nectitur, ut non absque vi admota separari valeat. Hoc in casu solutio placentae puerperae aequa dolorosa ac periculosa esse solet. Iuxta plurimorum obstetricantium sententiam, incarcerationis placentae dignitudo spastica uteri contractione, secundum pauciorum opinionem, sedes eius supra tubarum FALLOPII orificia, symbolam confert. Mihi vero veroshile non videtur. Nullis ab incarceratione placentae sese manifestantibus periculis urgentibusque symptomatibus, externe frictiones manus calefacta supra incarcerationis locum instituenda, interne antispasmodicis potentibus militandum est. Sin vero iuncta placentae incarcerationi haemorrhagia est, occurritur fomentationibus atque injectionibus frigidis et medicamentis internis hocce scopo respondentibus. Pluries et pater, et ego, repetitis vicibus ex-

D

per-

pertus sum; tam haemorrhagiam, quam et incarcerationem dictorum medicaminum auxilio egregie sublatam fuisse, perseverante incarceratione, externe linimentum volatile ordinarium cum laudano liquido, vel camphora, vel chamomillae et hyosciami oleo vel hyosciami extracto, item essentia castorei inungendum cum successo est. In hunc censum etiam veniunt fomentationes emollientes aut cataplasmata antispasmodicis mixta. Inter medicamenta interna excellunt opium, castoreum, extractum hyosciami et valeriana, quibus pater multoties cum eventu mirando usus est et secundum varias circumstantias unum cum altero iungi debet, interdum vero plura combinari praestat. Incarceratione placentae sublata, fomenta externa ex aqua frigidissima fontana vel fluviatili, aceto, aut acido vitrioli impregnata, eam, si digitis arripi non potest, expellunt absque longo temporis intervallo. Nam horum ope fortiores uteri constrictiones efficiuntur. Veruntamen non semper methodis laudatis, remansae placentae mederi licet. Datur enim hinc et inde exceptio. Incarceratio obtineri potest, apud eas feminas, quae tantam fiduciam in artificiali placentae separatione ponunt, ut pessima mala, ab eius remora metuant, atque de vita actum esse censeant, taliaque tota credant anima, ut nullis

I  
t  
i  
l  
I  
s  
I  
o  
t  
s  
I  
I  
I  
t  
e  
lis demonstrationibus ratiociniisque obstetrican-  
tium de contrariis moneri possint, et separatio-  
nem artificialem tumultuoso modo exigant.  
Qua de causa cum alterationes ab ira, aut metu  
productae pessima symptomata excitare possint,  
ideo naturalis separatio illis ab obstetricantibus,  
et obstetricibus concedenda est, atque hic prae-  
judicio aliquid concedendum est necessario, aliter  
sentientibus peritis. Plurimis in regionibus,  
praesertim in Helvetiae multis locis, separatio  
placentae tanto in usu est, ut iam post horam  
unam vel alteram, nullis apparentibus pericu-  
losis symptomatibus, auxilium obstetricantis  
desideretur; imo aliis in locis, more ab antiquis  
temporibus assueto, obstetrices manum operi  
admovent, ac plus aut minus adhaerentem sepa-  
rant placentam, plures vero, eaeque rudiores  
scelestaeque, illam magis avellunt, quam se-  
parant, et ita dilacerant, ut frusta remaneant,  
quae vel postea concitante durissimos dolores  
post partum, vel naturae vi expelluntur, vel in  
putredinem vergunt, et uteri inflammationem  
pessimasque febres excitant, immo non raro ute-  
ri substantia earum rudioribus digitis, et debito  
longioribus unguibus, offenditur et quasi frica-  
tur, huiusque nobilis, et summe sensibilis visce-  
ris interna tunica saltem, si non substantia ipsa  
ex parte dilaceratur, ut exinde pessimae oriantur

D 2

me-

metritides; quorum eventuum tristissimorum testis fuit beatus expertusque olim obstetricator, avus et hodie dum pater meus, ac ubivis terrarum, praecipue in regionibus illis medica politia destitutis experti fuere, et adhucdum experiuntur rationales ac celebres viri, teste historia, tristium talium casuum copia munita.

O quam fortunatae sunt regiones illae, in quibus prudens politia regnat medica, et quibus non defunt habiles conscientiosique obstetricantes, et obstetricices non rudes! quam infelices e contrario sunt provinciae, hisce plenario destitutae auxiliatricibus manibus, vel nimis longe ab illis distantes loci!

Pater saepissime vario sub praetextu, puerperas artificialem placentae solutionem exoptantes, fecellit, ex. gr. dicendo, illam mox expelli, se se non velle abire, sed ad partum placentae usque remanere, si urgentia symptomata intrent, vel exclusio secundinarum intra horae unius, vel alterius spatium non fiat, se illam separare velle. Si quae paullo pertinacius ac impetuosius concupiscerent artificialem separationem, saepius fallebat, dicendo orificium uterinum plenario clausum, et spasmodiae constrictum esse, spasmos prius medicamentis internis et

et externis solvendos esse, etc. eumque huius consilii nunquam poenituit neque poenitebit in posterum, cum placentae sponte expulsae fuerint, unica excepta, quam, sex horis elapsis, ante abitum separavit; idque non fecisset, nisi puerpera in loco quinque leucis ab hinc dissito habitasset, dum nulla symptomata artificialem opem desideravere et persuasus fuit de sufficiencia virium naturalium. Hoc et in casu praejudicio, metuique puerperae satisfecit. In locis dissitis, si quando prudentum obstetricantium obstetricumque copia non est officium medici aut chirurgi obstetricii exigit, ut ante discessum placentam separaret, vel 'expulsionem naturalem exspectet, ut maiora infortunia praecaveantur, atque voto puerperae satisfiat. Sub hac rerum facie et exceptioni locus est, si explorationis ope obstetricans sese certiorem reddidit de vehementissima ac universa placentae cum utero connexione, ita, ut absque summa vi adhibita separatio artificialis fieri nequeat. Tunc melius consulitur et saluti puerperae, et obstetricantis famae, si res omnis naturae viribus committitur, quam arte nimiaque vi excluditur.

Porro si placenta ita fortiter incarcerateda est, ut incarcerationis ostium digitis non sine vi maiori adhibita aperiri possit, melius est puerperam derelinquere quam uteri partibus sensibili-  
bus

bus vim inferre. Exhibeantur itaque indicata  
remedia interna, hisque copulentur externa, de  
quibus in praecedentibus profusius loquutus sum!

Tandem si puerpera valde debilis ac sanguine  
exhausta est, ita, ut et minima separationem  
necessario insequens sanguinis iactura, tanquam  
periculosa, immo letifera metuenda sit, curatio  
therapeutica manuali longe preferenda est.  
Etiam status inflammatorius matricis a separa-  
tione artificiali abstinentum iubet. Qua pae-  
fente, irritationem ab separatione factam ma-  
lum augere posse quivis facile perspiciet.

De modo separationis omnes artis magistri  
hodierni in compendiis aliisque scriptis, proli-  
xius ac clarius egerunt, quam qui praecedenti  
saeculo vixerunt commendaveruntque serio, ut  
exploretur locus placentae ab utero iam separatae,  
deinde ut digitus alias post alium inter substan-  
tiā uteri et placentae dictō in loco immittatur,  
et sic lentissimo minimeque violento modo sepa-  
ratio, paulisper depressorio, non lacerante, sed  
subtilissime separate fiat. Quando vero plenario  
adhaeret, separationem prope funiculi umbili-  
calis insertionem incipiendam suadent. Ex ana-  
atomicis et physiologicis evidenter patet, uterum,  
in primis ejus superficiem internam valde sensi-  
bilem irritabilemque esse, ergo caute hic mer-  
candum, nullaque vi placentam separandam  
esse,

esse, omnes artis salutaris gnari mecum  
sentient.

Separatio placentae est igitur operatio dif-  
ficillima, dolorosa et periculosa. Difficultatem  
eius iam satis probatam a me suppono, omnes-  
que obstetricantes mecum convenient separatio-  
nem integrum quam intricatissimam esse, et tam  
patientiam puerperae, quam et obstetricantis re-  
quirere, quin subtilissimo tactu egere, ne ulla  
placentae frustula aut particulae relinquantur.  
Quod sane expertissimis viris iam occurrebat,  
ipsi patri bis infortunium hoc accidit. Etiam  
in quibusdam feminis connexio placentae adeo  
fortis cum utero est, ut fibrae illae quasi tendi-  
neae appareant, ac digitis vix separari possint,  
manuque sinistra vel alia auxiliatrice, vix uteri  
motus, in abdominis vacuo spatio impediri, et  
ille debito suo in loco retineri ac fixari possit,  
immo non raro externe ambabus obstetricis ma-  
nibus uterus comprehendi ac suo in loco teneri  
necessarium fit. Est etiam interdum haec ope-  
ratio tam intricata, ut consensu plurium colle-  
garum, difficiliorem, versione etiam satis ardua,  
censenda sit, uteri orificium interdum ita spas-  
modice constringitur, ut tam introitus, quam  
exitus manus difficilis reddatur.

Dolores summos fieri a tali separatione,  
licet iuxta artis regulas, summaque ac sirenuf-  
fima

sima attentione et accuratissima praecautione facta, nullus dubitat, qui nobilissimi visceris habitum, et eius sensibilitatem ac irritabilitatem novit, ac praeterea gestus, motus, lamentationes, eiulatus, clamoresque commiseratione dignissimarum puerarum vidi, observavit et audivit. Ille mecum consentiet, id est, talem operationem maxime dolentem esse, nec temere adhibendam.

Periculum inflammationis ab separatione artificiali puereras incurrere, exinde uteri cuiusdam parti suppurationem effici, variosque morbos chronicos procreari, extra omne dubium positum est immo vero satis constat a rudioribus manubus factam inflammationem esse, deinde in scirrum abiisse, ac exinde carcinoma uteri ortum. Nonnulli obstetricantium contendunt ex remanentibus placentae particulis polypos oriri, ego vero his non assentio, chronicam exinde ortam esse uteri atoniam, hinc sterilitatem productam, nec non uteri sensibilitatem ac irritabilitatem auctam, hinc morbum hystericum natum: varias etiam menstruorum aberrationes, hoc quidem satis evictum est. His sequelis adiungenda adhuc alia est, quam pater observavit. Nota ipsi sunt puerperae non paucae, quibus ab avo, a se ipso ac ab aliis placenta separata fuit ante decem, duodecim, quindecim et plus.

plures annos, quae sentirent dolorem quasi fixum eo loco, in quo maxime adhaerebat placenta. Hic dolor sub graviditatis ac menstruationis tempore angebatur, nullis remediis tollebatur, labores miserarum duriores impeditiebat, sique triste separationis residuum ad vitae terminum usque tolerabant. Avus separationem placentae artificialem centum et quinquaginta duabus instituebat vicibus, ex quarum numero viginti septem puerperae mortuae sunt, scilicet septendecim inflammatione uteri, reliquae ex haemorrhagiae sequelis succubuerunt. Pater hanc operationem iam centum octuaginta tribus vicibus suscepit, e quarum numero viginti duae mortuae sunt, una metritidi succubuit, reliquae ex haemorrhagiae sequelis, uti et remanentibus placentae particulis procreata febre putrida, nec non sanguinis iactura imperfectae fuerunt. Neque reticenda sunt alia infortunia, tametsi non letalia, minus expertis in separationis negotio utriusque sexus hominibus, non ita raro rudiori tractatione et vi producta, uteri inversio, vel partialis, vel integra, item uteri procidentia perfecta et imperfecta, nec non vaginae prolapsus completus et incompletus, quae dira mala tam rudiori attractioni umbilicalis funiculi, vel nimis vehementi uteri, sub separationis placentae tempore adhibita vi, vel trahendo, vellicando,

do, quasique lacerando, ab ignaris homunculis carnifices imitantibus, inducta fuere.

Tunicae foetum obducentes, praeternaturali modo quandoque utero annexae sunt, minusque arcte cum placenta copulatae, ita quidem ut, interdum satis notabilis pars in utero remansisse, vel in eius orificio haesisse, saepius observatum sit. Quod corpusculum heterogeneum, cum possit mora degenerare, et in putridum ruere statum, obstetricibus bene incalcludum est, ut, partu placentae absoluto, videant num tunicae, ante vesicam formantes, integrae sint, nec ne. Si qua pars remanserit, primo injectiones uterinae ex chamomillae arnicaeque florum infuso postea, effluente saniosa materie, e levi chiae decocto aut infuso paratae instituenda sunt. Pater hac ex levi causa, ut videtur, semel satis notabilem ortam putridam observavit febrem, et exclusionem tunicarum reaperte putrescentium octava die factam nuper die tertio post partum in orificio uteri haerentes mere putridas ac pessimum cadaverosum odorem spargentes extraxit, incolumi puerpera. Sed dissertationem in maius volumen excreuisse videtur, quam ut ulterius filum protrahere liceat statuendus ergo et faciendus est operi.

---

---

*CVRRICVLVM VITAE.*

---

*Est pagus, Cantonis alias Appatiscellanae, hodie  
Sentis nominatae, quem Herisaviam vocant, in quo  
ego IOANNES HENRICVS OBERTEVFFER lucem  
huius mundi aspexi anno seculi huius LXXIX.  
die xx. Ianuarii, patre usus IOANNE GEORGIO  
OBERTEVFFER, medicinae utriusque doctore ac ob-  
stetricante celebri, matre SVSANNA e familia*

*BOD-*

BODMERIANA, Wölflingae in Cantone Turicensi  
florente.

Optimi parentes adhucdum viventes, a tenera  
aetate primis litteris me imbui curavere quam fide-  
lissime, eoque successu, ut anno aetatis nono linguae  
latinae, graecae, nec non gallicae, principia addi-  
scere potuerim, apud meritissimum et doctissimum  
Dn. GRAF, theologiae Candidatum, ex cuius ore  
postea geographiae, historiae, botanices, nec non  
historiae naturalis rudimenta percepi. Quibus po-  
sterioribus duabus scientiis maxime operam dedi tan-  
to cum successu, ut his bene imbutus fuerim, atque  
venerando praceptor, dum vixero, gratias pluri-  
mas habeam.

Anno nonagesimo quinto iussu patris Tigurum  
me contuli, ibique frequentavi collegium physices  
mathef eosque Ill. RAHNII, magni Helvetorum Ae-  
sculapii, physiologiam, diaeteticen et therapiam  
spe-

*specialem exponentem audivi doctissimum doctorem  
Usteri, pathologiae generalis ac specialis praecepta  
exponentem doctissimum ac defessum medicum, DA-  
VIDEM RAHNIVM, cui bono ac amabili viro sane  
multa deboe. Botanicen, chemiam et materiam me-  
dicam exposuit doctissimus Dn. Doctor SCHINZ.  
Chirurgiam Dn. Doctor LOCHER, Historiam natu-  
ralem medicam Dn. Doctor ESCHER, cursum osteo-  
logicum anatomicumque BRECKARD, chirurgus ex-  
pertus et celebris, cuius sub auspiciis cadaveribus  
dissecandis ipse manus admovi.*

*Post biennem commorationem Turico valedixi  
atque tempore verno anni 1797. celebrem illam acade-  
miam, quae Ienae Saxonum floret, frequentavi, ibi-  
dem mihi rara ac exoptatissima contigit felicitas, ut  
in domo celeberrimi professoris STARCKII, medici  
chirurgi et obstetricantis doctissimi, dexterissimi atque  
expertissimi, habitare liceret, isque vir maxime de-*

*me*

me meruit, patrem egit erga me scientificum, sub  
cuius auspiciis Hippocraticis mox ad practicorum de-  
scendebam castra, clinicum institutum tanti magistri  
frequentavi, imo in urbe ac rure ipse aegros tracta-  
vi, singulis operationibus chirurgicis et obstetriciis,  
nec non sectionibus legalibus interfui, ita, ut tam illius,  
quam et cognati, celebris professoris STARCKII,  
merita de me evaserint insignia, nunquam oblivioni  
tradenda, atque publice, dum vixero, laudanda.  
His enim viris finem studiorum academicorum adeo  
felicem, velocemque debeo. Numero civium acade-  
micorum adscriptus, cursum medicum eruditis sub  
viris continuavi medicinam forensem Perilluſtr. GRV-  
NER chemiam excell. GÖTTLING, me docuit. Prae-  
terea duces et professores artis secutus sum, in pa-  
thologia tam generali, quam speciali, item in thera-  
pia speciali et materia medica Illustrem HVFELAND,  
in anatomia et chirurgia Perilluſtr. LODER, in  
clini-

*clinico, et arte obstetricia Illustr. STARCK, in ma-  
teria medica et fasciarum doctrina Excell. STARCK,  
iuniorum.*

*Quibus omnibus ac singulis praceptoribus, fau-  
toribus et patronis, summa animi pietate maximo-  
pere colendis, pro innumeris et egregiis in me colla-  
tis meritis maximas, quas valeo, publice reddo gra-  
tias, atque insignium adeo virorum benevolentiae  
atque memoriae in posterum me quoque commendatum  
cupio! Domum nimis cito redux, arduo medicinae  
practicae exercitio me accingere non ausus essem, nisi  
suffultus fuisset dilecti ac summopere colendi patris  
consiliis, atque iudiciis, cui doctissimo atque expertissi-  
mo medico tot tantaque debeo, ut eadem dicere va-  
leam summo iure, quae Illustriss. L. B. VAN SWIE-  
TEN de suo praceptore, summo BOERHAVIO gloria-  
batur, scilicet se nunquam hoc oraculum accessisse,  
nisi ut doctior ab illo discessisset. Est et mihi maxi-*

*me*

*me sperandum, quod in posterum ab patre tam eru-  
dito, ab omnibus hypothesis systematum auctorita-  
tumque praejudicio libero medico, plura discere mihi  
concessum sit. Hic enim totus in eo est, ut ad na-  
turee conatus viresque me reddat attentissimum et  
theoretica filii studia lectione optimorum librorum  
quotidie augere studeat.*

*Dabam Herisaviae Helvetorum*

*die 26. Iunii Ao. 1800.*